



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

A Clemente XI. Ad Benedictum XIII.

Luxemburgi, MDCCXLI.

4. Romanus Pontifex &c. Facultas transferendi pensiones Ecclesiasticas
usque ad summam scutorum centum monetæ Romanæ pro RR. PP. DD. in
signatura Justitiæ votantibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74859](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74859)

Mandat præ-
sentes annua-
tim publicari
per quolibet
Prælatos in
propriis Ec-
clesiis.

aut ignorantiam allegare, cum non sit verisimile, id remanere incognitum, quod tam patenter omnibus publicatur. Insuper, ut Processus ipsi, & præsentis literæ, ac omnia, & singula in eis contenta eò fiant notiora, quo in plerisque Civitatibus, & locis fuerint publicata, universis, & singulis Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, & locorum Ordinariis, & Prælatibus ubilibet constitutis, per hæc scripta committimus, & in virtute sanctæ obedientiæ districtè præcipiendo, mandamus, ut per se, vel alium, seu alios, præsentis literas, postquam eas receperint, seu earum habuerint notitiam, semel in anno, aut si expedire viderint, etiam pluries in Ecclesiis suis, dum in eis major populi multitudo ad divina convenit, solemniter publicent, & ad Christianifidelium reducant, nuncient, & declarent.

Singuli Præ-
lati, & ani-
marum cu-
ram habentes,
ac simplices
Confessarii has
litteras penes
se retinere
debeant.

Cæterum Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, alique locorum Ordinarii, & Ecclesiarum Prælati, necnon Rectores, cæterique curam animarum exercentes, ac Presbyteri sæculares, & quorumvis Ordinum Regulares ad audiendas peccatorum confessiones, quavis autoritate deputati, transumptum præsentium literarum penes se habeant, easque diligenter legere, & percipere studeant. Volentes earumdem præsentium transumptis, etiam impressis, Notarii publici manu subscriptis, & sigillo Judicis Ordinarii Romanæ Curie, vel alterius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eandem prorsus fidem in judicio, & extra illud ubique locorum adhibendam fore, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si essent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ excommunicationis, anathematizationis, interdicti, innovationis, innodationis, declarationis, protestationis, sublationis, revocationis, commissionis, mandati, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum. Dat. Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo primo, Nono Kalendas Aprilis, Pontificatus Nostri Anno Primo.

Fides habenda
Transumptis.

Sanctio poenalis.

J. Card. Prodaturus.

F. Oliverius.

Visa de Curia C. A. Fabronus.
Philippus Porta.

Loco † Plumbi.

Registrata in Secretaria Brevium.

Consimiles literæ Processus iisdem prorsus conceptæ verbis publicatæ fuere die Cæna Domini singulis sequentibus annis, usque dum Clemens XI. vitam cum morte commutavit.

IV.

FACULTAS.

Transferendi pensiones Ecclesiasticas usque ad summam scutorum centum monetæ Romanæ pro RR. PP. DD. in Signatura Justitiæ Votantibus.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Romanus Pontifex, Supremus gratiarum Dispensator in Terris à Domino constitutus, illos, qui assiduos, gravesque labores pro Justitiæ unicuique æqua lance administranda laudabiliter sustinent, specialibus privilegiis exornat, sicut eo-

tum meritis convenire arbitrat. Itaque ad eximia Dilectorum Filiorum modernorum utriusque Signaturæ nostræ Referendariorum in Signatura nostra Justitiæ Votantium in Nos, ac Apostolicam Sedem merita, paternæ dirigentes considerationis intuitum, eosque proinde, ac illorum Successores, ut eò alacrius fidem, operam, industriam, atque sedulitatem in ejusdem Sedis obsequium adhibere studeant, specialis favore gratiæ prosequi volentes, & ipsorum modernorum Votantium singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & penis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum, præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, motu proprio, & ex certa scientiâ, & maturâ deliberatione, nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, prædictis modernis, & pro tempore existentibus Referendariis dictæ Signaturæ Justitiæ Votantibus, ut ipsi pensiones annuas Apostolica sibi auctoritate super quibusvis fructibus Ecclesiasticis reservatas, & pro tempore reservandas usque ad summam centum scutorum monetæ dumtaxat, ad favorem unius, seu plurium personarum Ecclesiasticarum, seu Clericorum, ac aliis pensionum hujusmodi capacium, etiam in mortis articulo, coram Notario, & testibus, & cum alicujus Prælati, seu Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ interventu transferre (servatâ tamen formâ Constitutionis sel. rec. Innocentij PP. XI. prædecessoris nostri super translatione pensionum editæ) liberè, & licitè possint, & valeant, tenore præsentium concedimus, & indulgemus, Decernentes easdem præsentis literas, & in eis contenta quæcumque, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet, etiam quantumvis magno, & substantiali defectu, notari, impugnari, retractari, infringi, seu ad terminos juris reduci, aut in controversiam revocari, seu adversus illas apertionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, vel intentari, aut impetrato, seu etiam motu, scientiâ, & potestatis plenitudine paribus concessio, vel emanato, quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare possit, neque ipsas præsentis literas, sub quibusvis similibus, vel dissimilibus gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aliisque contrariis dispositionibus, etiam per Nos, vel Romanos Pontifices successores nostros, & Sedem præfatam in genere, vel in specie, aut alias quomodolibet, & quomodocumque faciendis, comprehendere, vel comprehensas censeri, sed semper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum, & validissimum statum restitutas, repositas, & plenariè reintegratas, ac etiam de novo sub quacumque posteriore datâ per eos, ad quos pro tempore spectabit, eligenda, concessas intelligi, firmasque, validas, & efficaces existere, & fore, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quomodocumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari; Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, aliove quolibet quacumque præminetia, & potestate fungentes, & functuros, sublatâ eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiti debere, & irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter

Signatura
Justitiæ Vo-
tantibus fa-
cultatem
concedit
transferendi
pensiones us-
que ad sum-
mam scuto-
rum centum
monetæ.

Præscribit
modum in
translatione
servandum.

Clausula sub-
lata cum de-
creto irritan-
ti.

ranter

1701.
Executores
deputat Cardinales V.
Cancellarium, & Camerarium, & A. C.

tanter contigere attentari. Quocirca Dilectis filiis nostris ejusdem S. R. E. Vicecancellario, & Camerarios & Causarum Curie Camerae Apostolicae Generali Auditori per praesentes motu pari committimus, & mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios, eadem praesentes literas, & in eis contenta quaecumque ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte praedictorum Votantium, seu alicujus eorum, vel aliorum interesse in praemissis pro tempore habentium desuper fuerint requisiti, solemniter publicantes: illisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra ipsas praesentes literas, & in eis contenta hujusmodi, ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, ipsosque modernos, & pro tempore existentes Votantes, & alios, quos eadem literae concernent in futurum, praesentium literarum, & in eis contentorum eorundem commodo, & effectu pacifice frui, & gaudere, non permittentes illos, sed eorum quempiam desuper quomodolibet indebitè molestari, perturbari, inquietari, vel impediri: Contradiectores quoslibet, & Rebelles per sententias, censuras, & poenas Ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione postposita, compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus, sententias, censuras, & poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis: Non obstantibus fel. rec. Bonifacii PP. VIII. praedecessoris nostri de una, & in Concilio Generali edita de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium in judicium non trahatur, ac quatenus opus sit, de praestando consensu in partitionibus, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & Consuetudinibus, Privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis illorum tenores praesentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis aliis in suo robore permanens, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die xxviii. Martii MDCCI. Pontificatus Nostri Anno Primo.

F. Oliverius.

CONCESSIO

Privilegiorum pro nonnullis suis familiaribus.

CLEMENS PAPA XI.

Venerabilibus fratribus Thomae Ruffo Niczano Cubiculi nostri Praefecto, Ulyssi Josepho Gozzadino Theodosien. Archiepiscopo, Literarum nostrarum in forma Brevis, quae ad Principes scribuntur, Secretario, necnon Dilectis filiis Magistro Carolo Columnae Romano Palatii nostri Praefecto, Joanni Dominico Paracciano Romano Auditori nostro, & Curtio Origo Romano in utroque Signatura nostra Referendario, libellorum supplicum Nobis porrektorum Secretario Praelatis domesticis nostris, ac Fabio de Abbatibus Oliverio Pisaren. Brevium nostrorum secretorum Secretario, Bartholomaeo Maffei Montispolitianen. Pincerna, Antonio Mariae Raspono Ravenmaten., Rodulpho ex Comitibus Montis Veteris Fanen.,

Paulo Ubaldino Civitatis Castellii, Nicolao Salla Romano, Alexandro Bonaventurae Urbinaten. Vestiaro, & Eleemosynario secreto, Guido Passioneo Forosempronien. notarum arcanarum Secretario, Joanni Mariae Lancisio Romano Medico secreto, Cubicularis intimis, seu secretis, & Urbano Roccio Romano Floreio majori itidem Cubiculatio secreto, necnon Petro Marcellino Corradino Terracinen. Subdatario. Ac Joanni Paulo de Sanctis Camerinen. Caudatario, Petro Severii Feretran., Bartholomaeo Fantono Urbinaten., Ludovico Marocco Romano, Cappellanis secretis, necnon Fabricio Felici Urbinaten., ac Josepho Miganzi Sarlinatem., Francisco de Magistris Romano, Marino Severi Feretran., & Marco Antonio Adriani Romano respectivè Civitatum, vel Dioecesium Clericis, seu Presbyteris, vel Laicis Cubiculi nostri adjutoribus, familiaribus continuis Commensalibus nostris salutem, & Apostolicam benedictionem. Circumspecta Romani Pontificis gratiarum dispensatoris providentia devotos, & fideles suos, illos praesertim, qui grata familiaritatis obsequia jugiter ei impendunt ac, quos ad id aliis propria virtutum merita commendant, honoris, & famae amplioribus praeconiis, ac praeclearis dignitatum titulis decorare, & ornare, necnon specialis benevolentiae favoribus amplecti solet, prout personatum qualitatibus conspici convenire. Hinc est, quod nos ad grata familiaritatis obsequia, quae vos, qui etiam continui commensales nostri existitis, & quilibet vestrum Nobis hactenus impendistis, & adhuc sollicitis studiis impendere non desistitis, necnon ad vitae, ac morum honestatem, aliaque laudabilia probitatis, & virtutum merita, quibus personas vestras etiam familiari experientia juveni percepimus, condignam rationem habentes, ac propterea eadem personas vestras peculiaris favore gratiae, ac specialis honoris, & excellentiae dignitatis titulo sublimare volentes, vosque, & quemlibet vestrum a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententias, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existitis, ad effectum praesentium dumtaxat consequens, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes; Motu proprio, non ad vestram, vel alterius pro vobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed de mera liberalitate, & certa scientia nostris, ac de Apostolica potestatis plenitudine vos, & quemlibet vestrum respectivè in nostros, & Sedis Apostolicae Notarios (sine tamen praedictio Dilectorum filiorum Notariorum de numero participantium) Apostolica auctoritate tenore praesentium recipimus, ac Sacri Palatii, & Aulae Lateranen. Comites, necnon auratae Militiae Equites, ac Nobiles Romanos, & Urbis Romae, ac Civitatum Avenionen. Bononien., Ferrarien., & Beneventan., omniumque, & singularum aliarum Civitatum, Terrarum, & locorum Romanae Ecclesiae mediatae, vel immediate subsectorum Civis cum omnibus juribus, jurisdictionibus, praerogativis, & insignibus debitis, & consuetis creamus, ac constituimus, ac in numerum, & consortium aliorum nostrorum, & ejusdem Sedis Notariorum, necnon Palatii, & Aulae hujusmodi Comitum, Equitum, & Nobilium Romanorum, aliorumque Civium Civitatum, & Terrarum praedictarum referimus, & conscribimus Vobisque, etiam si habitum, & rochetum Notariorum dictae Sedis juxta decreta Lateranen. Concilii novissime celebrati non deferatis, aut Civitates hujusmodi non incolueritis, nec unquam in eisdem Civitatibus domicilium habueritis, ut omnibus, & quibuscumque privilegiis, & facultati-

Exordium à solito favore, & gratias elargiendi Familiaribus Pontificis.

Motu proprio eisdem Familiaribus creat Proto-notarios, Comites Palatinos, Equites Nobiles Romanos & Civis Urbis, aliarumque Civitatum Electionis Ecclesiasticae.

bns

Nomina Familiarium Sanctitatis Suz.